



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

19. Cognitio & amor beneficiorum Dei.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

fanatus, illustratus, ex toto corde atque ex
tota anima Te diligam.

Aspirationes.

I. Memoriam fecit mirabilium suorum,
misericors & miserator Dominus, escam dedit
simentibus se. Psal. 110. 4.

II. O praeclarum convivium! ô sacrosan-
ctum mysterium, omni admiratione dignissi-
mum! In quo verus Deus & homo contine-
tur, in quo Christus manducatur & bibitur.
S. Laur. Justin. serm. de Euchar.

III. O sacrum convivium, in quo Christus
sumitur, recolitur memoria Passionis ejus;
mens impletur gratiâ, & futura gloria nobis
pignus datur! Ecclesia.

P A S S U S XIX.

Cognitio & Dilectio Benefi-
ciorum DEI.

T E X T U S.

Deus dat omnibus affluenter.

S. Jacobi c. 1.

Cognitio.

I. I Nnumerabilia tua beneficia, mi Deus,
tam communia, quàm particularia, con-
tem-

templans, quis totidem spicula dilectionis cordi suo infigi non sentiat? Quis præ amoris dulcedine non langueat, non colliquescat & contabescat? Nam 1. Si communia considerem, Tu nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem tuam condidisti. 2. Tu nos toto vitæ nostræ tempore, tantâ curâ & benevolentia conservasti. 3. Tu tantâ rerum varietate nos sustentasti, pavisti, & cooperuisti. 4. Tu eum in finem cœlum cum Sole, luna & stellis; terram cum elementis, volucris, piscibus, plantis, frugibus, tot annorum millibus propter nos conservasti, in quibus millena beneficiorum millia latent. 5. Tu pretiosa Filii tui morte & sanguine nos redemisti, & ex Sathanæ captivitate nos vindicasti.

II. Beneficia autem particularia, quis recenseat aut enumeret? 1. Tu corpus mihi dedisti, non cœcum, non surdum, non mutum, non claudum aut mancum, sed integrum & sanum. 2. Tu me non amentem, non stultum, stolidum & hardum, sed rationis compotem, & ingenio bono præditum fecisti. 3. Tu me à parentibus honestis & catholicis, non ab infamibus, impiis, hæreticis, judæis, aut ethnicis nasci voluisti. 4. Tu ab infantia Angelum custodiæ meæ deputasti. 5. Tu in pueritia, ne in aquam, aut ignem laberer, aut lapsu,

ca-

caput, brachia, pedesve frangerem, custodisti.

III. Tu 6. providentiâ tuâ plus quàm paternâ de omnibus necessariis mihi providisti. 7. Tu in juventute mea ab innumeris perversionis & seductionis periculis me præservâsti. 8. Tu suaviter & efficaciter ad hunc amabilem statum me vocâsti, totque annis in eodem conservâsti. 9. Tu à peccatis meis, per Sacramentum Pœnitentiæ, toties me mundâsti; toties corpore & sanguine tuo me refecisti. 10. Tu tot inspirationibus, concionibus, instructionibus, exemplis, libris spiritualibus, & aliis mediis, ad vitam bonam adjuvisti, plurimis donis internis & externis, naturæ & gratiæ dotâsti: atque, ut confido, ab æterno certum, secundum prædestinationem tuam, gloriæ gradum præparâsti, aliisque innumerabilibus beneficiis occultis & ignotis immeritum cumulâsti.

Dilectio.

O quid rependam amatori tanto? Quid Benefactori liberalissimo retribuam? Utinam tot haberem corda, quot accepi beneficia, cuncta libens offerrem, & obsequio ejus dedicarem. Utinam, mi Deus, tot linguis præditus essem, quot donis & favoribus à Te sum dotatus, ut beneficia tua toto Orbe de prædicarem, verùm cum illa desint,
do,

do, quod habeo. Suscipe Domine corpus & animam, sensus & potentias, cor & affectus, vota & desideria, verba & opera, imò quidquid sum, habeo, & valeo. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus Tibi, neque aliud possumus; suscipe igitur omnia in pignus perpetui amoris & gratitudinis.

Aspirationes.

I. *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Benedic anima mea Domino, & omnia, qua intra me sunt, nomini sancto ejus. Psal. 102. 1. 2.*

II. *Deus, quando ignorabam, me instruxit; quando errabam, me reduxit, quando peccabam, me correxit; quando steti, me tenuit; quando ivi, me duxit, quando veni ad ipsum, me suscepit; nec pro his omnibus, quod rependam, habeo, nisi tantum, ut diligam. S. Bern. in illud Psalmi: Quid retribuam?*

III. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, qua retribuit mihi? Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.*

Psal. 118. 5.

* * *